



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

caput decimum nonum. De primis Calvinianae Synagogae ministris: & quomodo ii nomina sua mutarint & magno numero Genevam accurrerint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

tem haberent alios eadem cum potestate ordinandi, continuata ita usque ad supremum Mundi diem successione, quoad, ut S. Paulus loquitur, omnes Christo obviabimus. Sic Salvator noster Petrum successorem instituit, Petro Linus successit, huic Clemens, & sic deinceps. Et S. Paulus Timotheum habuit successorem, hic Epaphroditum, &c. Sic alii alios, donec ad nostra usque tempora est perventum.

Hæc quidem de legitima Ministrorum Ecclesiæ vocatione breviter ac velut in transeursu dicta sunt, ut potestatis illius quam nos Pastoralem appellamus, fundamentum aliquanto melius intelligatur. Ex quibus manifestum est Prædicantes Lutheranos, Calvinistas, Zvinghianos, Anabaptistas, & omne id genus, nihilo plus esse quam personas privatas, & miseros eunuchos omni generandi aut alios ercandi vi destitutos. Quamvis enim nonnulli inter ipsos sacerdotes fuerint in Catholica Ecclesia ordinati, auctoritatem tamen manus imponendi aliosque mittendi nullam extra Ecclesiam habuerunt: quæ quidem potestas superiori tantum, nempe Episcoporum ordini data est: adeo ut etiam si veritatem prædicarent, id unum tamen ad eos eis occludendum satis esse possit ac debeat, quod scilicet legitime vocati aut missi non sunt; eoque a nemine qui salutem suam amet audiendi.

DE PRIMIS CALVINIANÆ SYNAGOGÆ
Ministris: & quomodo ii nomina sua mutarint,
& magno numero Genevæ ac-
currebant.

CAPUT DECIMUMNONUM.

ARGUMENTUM.

- I. Calvinus Genevæ pro Episcopo se gerit, & Ministros à se ordinatos huc illic ablegat.
- II. Primis novi Evangelii Ministris nomina sua mutare iustitiam.
- III. Calvinus auctoritas Genevæ formidabilis.
- IV. Multi ad videndum & audiendum Calvinum Genevæ se conferunt.
- V. Scholares quidam studiis relictis, ad Calvinum proficiscuntur.
- VI. Qui e quovis ligno Ministros tamquam Mercenarios format.

CALVINUS voti sui cōpos factus & Genevæ, unde Farellum tamquam rivalē ac competitorē exturbat, solus Episcopi munus usurpās,

oculos animamque in primis ad miseram Galliam, matrem suam & altericem, deprædandam adjecit, miseram, inquam, Galliam, sed longè felicissimam futuram nisi monstrum hoc umquam concepisset, aut conceptum in ipso partu tamquam abortum statim exstinxisset; aut si quod ipse optabat, evenisset. Complures enim Calvini cognati & amici affirmarunt, eum puerum septennumero Naturam accusare solitum quod muliebrem sexum sibi non tribuisset: quod votum nescio an umquam in alterius viri animum ceciderit; à Platonis quidem sententia omnino discrepat, cui inter alia ob quæ gratias diis suis agebat, & hoc fuit, quod non feminam, sed masculum ipse nasci voluissent. Dum ita Genevæ desider Calvinus, omnia quæ in Gallia passim fiebant (tela enim hæc publicarum calamitatum iam dudum cœpta erat) ad eum tamquam summum Pontificem referebantur. Hæc Delphi illi erant, unde Calvinus velut Apollinis tripodis insidens, toti Christianitati oracula reddebat. Hæc Roma illa erat, unde ille Nuncios suos & Legatos in omnes terrarum partes mittebat, ad cōsolandos præcipue ac confirmandos eos, qui opiniones ipsius etiam cū periculo defendendos suscepissent: uti ex illorum patet splendore martyrologio, in quo multa passim Calvinianæ istius consolationis atque exhortationis vestigia existant. Et quemadmodum sedulus & ad rem attentus Paterfamilias singulis domesticorum ad quæ maxime idoneum quemque existimat, negocia imponit, ipse laborum adstans arbiter atque ἐργοδίακος: sic Calvinus exploratis singulorum suæ factionis hominum indole & viribus, hoc uni alii aliud munus demandabat, ac Ministros in omnes partes emittebat, qui velut erucæ ac locustæ brevi omnia corruerunt ac vastarunt. Novis his & adhuc docendis hominibus laus erat, si paullo disertioribus labiis instructi essent. De quibus Hieremias sic inquit: Falso Propheta vaticinantur in nomine meo. Non misi eos, & non præcepi eis: neque locutus sum ad eos. Ajunt, conquerentibus quibusdam quod juvenus Ministerio destinata genio & ocio indulgeret, nec fere ulla alia in re quam in canina aliqua comparanda facundia elaboraret, Calvinum respondisse: Sincerent bonos istos animo suo obsequi pro quibus ipse dies noctesque vigilet. Apud se istos præmâsum cibum bona copia reperturos. Ea vero erat Calvinus ambitio ut fere nō posset eos, qui nō optimas studiorum horas in libris ipsius legendis collocarent. Hinc quodam loco inquit, esse nonnullos qui suo consilii ingenio, nemine scripturas explicat-

tem

ne audire, neque ullius Commentarios legere dignetur. Id vero Deo summopere displicere, qui nolit, ut subsidia ista negligamus, huncque despectum atque arrogantiam in nonnullis acerbe aliquando vindicet. Horum vero Ministrorum quorum opera Calvinus ad institutum suum promovendum ac perturbandam Galliam usus est, præcipui fuerunt. Antonius Rupi-Chandeus, & Massonius, quæ ille Lutetiam ablegavit, ut novi Evangelii Ministerio fungeretur, dum ipse interea Genevæ tamquam in specula sedens novæ suæ Christianitatis universam Rempublicam vericaret ac moderaretur.

II. Quemadmodum vero Aneas & socii abjectis Trojanis insignibus & armis Græcorum assumerunt, ut sub falso eorum prætextu tanto tutius latere, tantoque facilius Græcos fallere possent: sic novi isti Evangelistæ, ne nihil haberent quod novum non esset, nova suscepta à Calvino novo Apostolo missione, nova etiam nomina sibi indiderunt, ac nova insignia præ se tulerunt. Angelus Vermilius, Petrus Martyr, Jacobus Cocus, Justus Jonas, Joannes Massonius primus Parisiensis Ecclesiæ Minister, la Riviere; Joannes de Pleurs, Espoir; Claromontius primus apud Rupellanos minister, Fontanus appellari voluerunt. Fuir qui repudiato Geberri nomine de Berger; alius de Tréblert, pro de Roches dici voluit. Ipse ille Rupi-Chandeus Sadacl deinceps, Colonius, Batellus; le Gai, de la Pierre, idemque etiâ Boismormandus dicti sunt. Carolus de Albiac suscepto ministerio de Pleffis; Andreas Masurius, la Place, alii aliis nominibus noti fuerunt. Quin etiâ magus ille Theodorus Beza, quem primum Genevam cum Candida sua venisset, eleganti & convenientis ominis nomine, Tibaldum Maium se appellavit.

Persuaserant sibi forte isti homines, quemadmodum Deus, ut inquit S. Hieronymus, servorum suorum nomina numquam mutavit quin magnum aliquod mysterium simul indicare voluerit; sic quoque hanc suorum nominum permutationem mysticè aliquid habere simplices existimatos. Aut quemadmodum Romani Pontifices suscepto Pontificatus inunere, pristino deposito nomine novum sibi sumunt, nequaquam propterea Baptismo, ut hæretici calūniantur, renūciantes, sed id indicantes, cum nova hac & suprema in terris dignitate novam se quasi naturam & virtutem accipere: sic ministri illi innuere voluerunt, se ad ministerium vocatos velut depositis veteribus exuviis, quasi novos homines repente prodire. Sed quemadmodum serpens etiam si veterem pellem deponat, non tamen serpentis naturam de-

ponit; sic isti, etiam si pristina nomina mutarint, non tamē indolem ac mores mutarunt, ne hilo quidem meliores, immo multo deteriores facti. Idem fateor institutum ab iis observari, qui religiosum Cappucinorum ordinem ingrediuntur: sed longe diversissima ratione. Cui enim non admirationi sit, homines reperiri tanto religionis ardore inflammatos, ut abjecta purpura, abjecto torque aureo, abjectis ceteris equestrium ordinum insignibus, lacernam ac cilicium sibi sumant, Mundumque cum omnibus suis rebus æternum valere jubeant? Sed facile iam illam cogitationem omitto, quam ob causam nominum hæc mutatio, quæ in secreto plerumque non verum quando ad ministerium recipiebantur, fieri solebat, à Prædicantibus introducta atque usurpata sit. Neque enim alios quoque, quos tamen multo plures possem, eandem ob causam sub censuram hoc loco vocare volo. Illud tantum addo. Quemadmodum inter animantia quædam sunt quæ pedum suorum vestigia, præsertim circa cubilia & latibula sua confundunt, ne à venatoribus perverstigentur ac deprehendantur: sic multos ex illo hominum genere hac nominum mutatione, vel prioris suæ vitæ turpitudinem, vel generis sui infamiam, tegere, vel denique periculis se subducere voluisse. Jam ad Calvinum revertamur.

Calvinus Genevæ tantam obtinebat auctoritatem, ut non modo ab omnibus, etiam ipsi Reipublicæ primoribus observaretur ac coleretur, verum etiam quasi adoraretur. Cujus rei Beza lepidum adfert exemplum ejus, qui quum morti jam vicinus esset, persuadere sibi non poterat à Deo sibi peccata remissa esse, nisi à fidei illo Dei servo, quem toties ante ac tam graviter offenderat, itidē veniam impetrasset. Idque in illius laudem Beza dicit, Calvinum vitam describens. Id vero etiam intelligi potest ex illa contentione, quæ inter Italum quendam & Sabaudum extitisse fertur, Sabaudum Calvinum non modo ad cælos usque, sed etiam supra S. Paulum efferente. Quid? Beza ipsum audiamus, quodam loco aperte profitemem, se quæ à Calvino profecta sunt, non minus recipere, & merito quidem, quam ea quæ ex Domini ore sint prolata. Hanc vero suam auctoritatem Calvinus non minus imperiose exercuit quam humiliter alii deserebant. Quæcumque vellet, fiebant; nec quidquam quod non vellet, fieri poterat. Quod si quis contra ipsum vel formam Ecclesiæ aut Reipublicæ ab ipso introductam, disciplinam præcipue Ecclesiasticam hincere auderet, statim illud audiebat:

Cornu ferit ille, cæveto.

Na 2

In quo

In quo sane si quisquam alius, Calvinus solum gererebat. Ad disciplinam illam quod attinet saepe ejus tentata est reformatio, saepe alia forma proposita, Calvino semper obnitente. Unde multa ac magna turbae ac seditiones exorta sunt, praesertim anno M. D. XLVIII. M. D. LIV. M. D. LV. Beza ait, Calvinum non semel nudis se gladiis medium objecisse, ac sua tantum praesentia furibundos, ac desperatos homines revocasse. Quotiescumque ille sive in Consilio sive in Consistorio a se formato, (de quo sequente libro dicam) sententiam dicebat, nemo erat ex omnibus qui vel solo verbo contra mutire auderet, Adeo omnes non modo in sententiam ejus pedibus ibant, sed ultro etiam antequam dixisset, applaudebant. Quid multis? Voci ejus omnes obediebant. Satis erat hic illud Pythagoraeorum *Αυτός έπα*. Nullum ex ejus ore verbum evolabat, quod non pro ipsius Veritatis filia haberetur. Tanto opere illi omnes verebantur. Interim sub illo sanctitatis velo, invidum ille & nihil nisi vindictam spirantem animu occultabat, cujus quidem aculeos & vim multi senserunt, tum praesertim postquam ille absoluti imperii ac nullis limitibus circumscriptae potestatis dulcedinem degustavit, & degustata, imperiose usurpavit. Quod si quis opponere se ausus esset, Deum immortalem quomodo ille excandesceret! quomodo tumultuabatur! Is ipse qui tam liberali penicillo laudes ejus depinxit, ait, quum sua natura ipse esset cholericus, & ingenio mitis prompto, hominum quorundam immodestia, infinita negotiorum varietate ac multitudine quae pro Ecclesia Dei quotidie sustinebat, ac tandem sub vita finem familiaribus sibi morbis, difficiliorem aliquanto ac morosiorē fuisse reddidit. Heshusius in Defensione sua affirmat, visum esse Calvinum judicio in quo de capite alienos agebatur, assistentem, & mortis sententiam in reum ferentem. Cajerus ait, in politicis negotiis Calvino semper inter magistratus ac primores Reipublicae locum fuisse, etiam in criminalibus judiciis: eaque se ipsum gloriatum esse. At hoc in Catholica Ecclesia nequaquam permissum est, in qua Ecclesiastici judices non modo nullam habent de capite cujusquam statuentis potestatem, sed etiam scribis si qui adsint ex Ecclesiastico ordine, decreto quo quis mortis damnatur scribendo interesse non licet, qui vero contra faciunt, in irregularitate incidunt, & beneficiis Ecclesiasticis privantur. Alius vir erat Calvinus, qui inter magistratus suum obtinebat locum, & una cum civitatis Syndico tribunali insidebat, cum eisdem ibat, & inter praecipuos

magistratus medius, uni praetori primum locum cedebat. Sic omnes narrant qui vel Genevae educati sunt, vel Genevensium res experientia norunt. Margarita Navarra regina, Princeps benigna admodum & liberalis, quatuor Francorum, ut vocant, millia ad Calvinum Genevam miserat, in pauperes exules ac profugos Gallos distribuenda. Quae quidem ille accepit, in distributione tamen mala fide versatus est. Hac de re certior facta regina, de Calvino conquesta est. Calvinus in Consilio factu suu excusavit, & quibus potuit praetextibus palliavit. Ut vero satis sapere sibi ejusmodi excipiendos impetus esse, nec vel omnes reginas hili se facere ostenderet, insolenter admodum reginae, ad refutandam, uti dicebat, calumniam, scripto respondit, quod & coram senatu civitatis legit, eoque praesente obsignavit. Idem tamen postea aliud submisit admodum & humiliter scriptum pro illo suppofuit, ac nuncio ad reginam perferendum dedit. Hac fraude postea in apertum erumpente, Calvinus toti civitati fabula fuit, ut Bolfecus ait, qui tum Genevae vixit.

Qui Genevam ultro citroque comabant, dici non potest quam effusi in Calvini laudes fuerint, quas non pleno tantum ore, verum etiam buccinis decantabant, tan taque narrabant miracula, ut nullus esset juvenis, qui quidem emancipatus ac sui juris esset, qui non hujus tanquam alterius & novi sancti Pauli Apostoli videndi desiderio afficeretur. Tantos vero ille laudum suarum habebat praerogones, ut praedicandis illis fatiari non possent. Ex quo fiebat, ut plures undique Genevam, tanquam alteram Corinthum, ad novam hanc Laide confluerent. Quinetiam multi relicta patria, in illum Sabaudiae angulum commigrarunt: quam nonnulli Hierapolim, id est, sanctam Civitatem appellarunt: ut Stephanus le Roy in suo de Martyribus, libello. Ex omni vero hominum genere nulli facilius insecuti sunt, quam pictores, horologiorum artifices, aurifabri, librarii, typographi, & quicumque in aliquo artificii genere excellebant. Ut enim tabula quanto candidior est, tanto facilius infuscatur: sic fraude haereticorum acutioris ingenii homines facilius capti sunt quam Minerva, ut dicitur, pinguioris. Omnes hi artifices, quorum vita non minus erat dissoluta quam opera licentiosa, dum colores suos terunt, dum horologiorum rotulas ordinant, dum Chimerae suas arti insculpunt, dum varia ducunt emblemata, intellectu sui acumine ipsos duolos perforare ac penetrare satagebant, ac tot animo phanta-

p̄t̄asias cōcipiebāt quot hexacantalithos colores de se reddit. Omnes elegātiores Poēt̄a huic se factiōni admiscebant. Non minus vere quam scite sapiēs ille Imperator M. Aurelius ait, lupanaria omniū formosissimis feminis, ac viris robustissimis repleti fortissimos quosq; latrones; subtilissimos, fures & impostores evadere. Eodem modo nascētem aut j̄ā vix natā h̄eresin homines acutissimi amplexi sunt, eo quod Fidei clypeo non essent armati; ac dum Ecclesiā voluerūt perdere, se ipsos perdidērūt, Dei donis nō aliter quam furiosus gladio, ad se & alios lādendos atq; interimendos usi. Inter litteratos primi fuerunt Medicinā Doctores, ut qui non nisi certissimis argumentis credere vellent. Qui postquam omnem rerum Naturalium scientiam diligēter evolvisserunt, nec Christianæ religionis mysteriorum causas reperire atq; enucleare possent; pleaq; nullius momēti, alia vero impossibilia esse credere cōeperunt, ut quæ intellectus sui angustiis cōprehendere nequirent. Ex quo factum est, ut non minus incertam ac fluctuantem religionē amplexi sint, quam scientia ipsorum incerta est; ac potius male sanis h̄ereticis, quam sanis Catholicis sese adjunxerint. Et sicut scarabæus neglecta rosa stercore quatit, ipsiq; Medici ex variis speciebus inter se cōmissis pharmaca sua cōponunt: sic homines isti ex variarum religionum colluvie novā aliquam sibi religionem conficiunt, tam ab aliis quā à se ipsa discrepantem. Videre adhuc est senes quosdam, quod reliquū ipsis ætatis est sine ullo religionis exercitio transigentes, quibus illa una est religio quod nullā religionem habēt. Ne tamen honestiorum aliquot ex hoc hominum genere famam hic ac memoriam lādā, quosdā qui ex lapsu surrexerunt, & ad Catholicam reversi sunt Ecclesiam, hoc loco recēsebo: inter quos est Raoullius le Maître, Henrici IV. Christianissimi regis Medicus ordinarius. Faient apud Lemovices non ignobilis Medici, mentionem omittere hic non possum: cui mors non minus felix quā infortunata vita obtigit. Hic à puero Calvinismo innutritus, quum à vitæ meta nō procul abesset fissus est, in sine paroxysmi cujusdā febrilis, visum sibi esse angelū, æternæ damnationis reum ipsum pronunciantem, nisi h̄eresin abjureret. Quia ergo literatus erat, nec vanum hoc spectum esse facile intelligebat, rogavit, ut docti aliquot viri, & imprimis de Societate Jesu, accerserentur: cum quibus collato sermone, spacium pœnitendi nactus, h̄eresi renunciavit, librosq; à se contra Catholicam Ecclesiam scriptos, ad ignem ipse damnavit. Hic

Hic ego vos rogo Calvinista, ut vel unum Catholicum proferatis, qui in mortis articulo religionē suā mutavit. Nullum reperietis. At cōtrario plurimi ex vestris extrema sua suspitā in Catholicæ gremio Ecclesiæ reddiderunt, qui toto vitæ suæ tempore antea eandē impugnant. Sic dominus de Morlas, vir nobilitate ac doctrina præstans, postquā in Calvinistica religione consensisset, in ipso mortis articulo protestatus est, se ut Catholicum mori vellet; veniaq; petita, Religiosū hominis copiam sibi fieri petiit cui peccata confiteretur. Eodem modo Fajus extremum vitæ diem clausit, quum pridie adhuc Calvinista se professus esset. Sic centeni aliquot alii qui id fecerunt, proferri possent. Vnum adhuc exemplum non possum quin citem hoc loco, quod Anno MDCL. eodē tempore dum Caput hoc conscribo accidit, quodque ex Actis Curia nostræ probari potest. Homo quidam honesto loco natus, accepta mortis sententia, Ministrum qui in ultimo hoc actu sibi assisteret, accersiri jussit. Interea dū hic quæritur, Religiosus quidam ad eum venit, & consolari eum incipit. Adductus tandem Minister, Religiosum rogat ut secedat paulisper, neq; ovem suam sibi surripiat. Morem gerit ille, & in angulum cubiculi secedit. Post multa verba reus Ministrum sic alloquitur: Domine Minister, jam viginti annos vestram ego religionem sequutus sum, sed jam eam desero. Aliqua enim animum meum spes tenet, Deū mei miseritum; & S. Spiritus quem unumquemq; nostrum habere jactatis mihi dicat, religionē simplicis hujus monachi veram, vestram vero falsam esse. Quare permittite, quæso, ut eum pace in Catholica Ecclesia moriar. Sic ergo Religiosus manus hominis consolandi, à Ministro ante sibi ereptum, rursus sumpsit. Minister vero discedens, cum vi veritatis coactus dixit, Deum in extremo vitæ unicuique gratiam suam inspirare prout velit. Sed cōdiverticulo redeo, porro offensurus; quomodo etiam acutissimi homines à Calvino dēcepti, sordēs eius pro atro amplexi sūt.

V. Vir quidam ex Aquitania nobilissimus mihi narravit, se quum Tolosa in Academiā xysto eum sociis aliquot deambulet repentinā quandā Spiritus S. vim sensisset: non quidem illius qui in forma columbæ super Christum descendit, nec eius qui in Apostolis sub forma dispersitæ linguæ apparuit, sed novi cujusdam & invisibilis Spiritus, qui Calvini & Geneva nomen assidue auribus ipsorum inculcabat, & animo insinuabat, similis illius, quem Zuinglius nescire se ait, utrum albus an ater fuerit. Hic velut

æstro perciti quinque vel sex scholares, eodem accensid desiderio, collectis sarcinis, dies noctesque continuato itinere Genevam profecti sunt, desiderio tam sancti videndi, atq; audiendi hominis, pedibus alas addente. Equidem ex illis quæ ille mihi dixit, magnum illum heroem Godefridum Bullionium non tantam ex murorum Hierosolymitanorum, quantam hos ex Genevensis civitatis aspectu cepisse voluptatem credo. Quam ingressi quum audissent illa ipsa hora concionem, quam Exhortationem vocabant, haberi, curriculo ad templum properarunt, ut Calvinum è cathedra verba facientem viderent atque audirent: cujus invenustos gestus, habitum atque sermonem admirari facile intellexerunt, multa vero majora prædicari, & absentes admirari ea, quæ præsentibus contemnerent. E templo egredientem adeunt illi, salutant, & rem omnem exponunt: ac beatus sibi videbatur, qui propius eum contigisset. Tum Calvinus ad eos, Hæc, inquit, Dei sunt miracula, ô fratres, ad vineæ suæ culturam vos vocantis. Ex hoc ut & aliis fide dignissimis viris didici, in Calvino nullas singulares fuisse vel ingenii vel eloquentiæ dotes, nisi quod quotiescunq; in Catholicos debaccharetur seipso disertior videbatur. Animi certe virulentiam ipsius scripta fati testantur.

VI. Is quem mihi hæc & alii narraffe dixi, postquam tres aut quatuor circiter menses Genevæ esse commoratus, ac vix primis labiis Theologiam degustasset, à Calvino Minister fuit designatus. Et si verò felici admodum ingenio, & in bonis litteris mediocriter esset versatus; oneris tamen gravitatem diligenter perpendens, sese excusavit, Calvino nihilominus uti munus susciperet, urgente, & Apostolorum allegante exemplum, quos Deus ideò elegerit, ut Mundi sapientiam confunderet. Post eum Beza quoque juvenenem urgere cœpit allato Titi & Amos Prophetæ exemplo, quorum uterq; quum juniores essent, docendi tamen in Ecclesia munus suscepissent. Difficilem Scripturæ intellectum causstanti, idem Vergilianos hos versus, tamquam formalem, credo, Scripturæ textum, reposuit:

*Carpe manu namq; ipse volens facilisque sequetur,
Si te fata vocant.*

Sic illi victo Calvinus manus societatis præbuit, ac collata Ministri potestate in Lotharingiam ad novam condendam ecclesiam misit: qui tamen non multo post magno ecclesiæ Domini scandalo fuit, hospitis sui viri nobilis filiam ad parum honestam

consuetudinem pelliciens, vel potius, ut ipse ajebat ab illa pelle cæsus. Antequam verò Genevæ discederet. Calvinij jussu nomen mutarat, Villerochum se appellans: quod postea unà cum Calvinismo deposuit, in Catholica religione mortuus. Ab hoc ego multa quæ ad infelix hoc schisma pertinent, secreta accepi. Erat enim homo multæ experientiæ ut cujus opera Calvinistæ tum quum novum Hugonotarum existeret nomen, in multis ac magnis rebus usi fuerant.

QUOMODO GENEVA CIVILIBVS Gallorum bellis creverit.

CAPUT VIGESIMUM.

ARGUMENTUM.

- I. *Geneva prima & præcipua hæreseos sedes, vel sentina.*
- II. *Ad quam tamquam asyllum omnis generis homines confuxerunt.*
- III. *Geneva per intestina Gallorum bella crevit.*
- IV. *Eadem Gallia viribus ad sui defensionem usa.*
- V. *Gallia post Turcas in auxilium vocatos multum pristini splendoris & virium amisit.*
- VI. *Plerique Principes magis de statu suo conservando quam Dei propugnando honore sunt solliciti.*

I. Genevensis civitatis, quæ prima parvæ suæ magnitudinis fundamenta ex variarum nationum posuit colluvie, exemplo patuit, nihil infirmum esse quod necessitatis vinculis colligetur. Ecce enim, ipso Sabaudia Duce ægre ferente, indignante Episcopo frementibus Catholicis, qui tum magno erant numero, in parva hac civitate præcipua Calvinistæ hæreseos sedes constituta, atque inde longè lateq; propagata fuit; nec Catholica ibi Ecclesia unquam potuit restaurari. Tanto studio sectarii in hac parva sua Roma conservanda elaborabant; sic inter se connexi ac constrikti, ut nemo eos posset disjungere, ut qui pleriq; omnes eadem tempestate essent jactati, & adhuc in eadem navi versarentur. Hoc asyllum erat omnium qui è Gallia, Anglia & Belgio vel ob Lutheranismum proscripsi erant aut profugerant, vel ob flagitia ac suppliciorum metum sese subdixerant.

II. Falsi monetarii, falsi testes, falsi notarii, & id genus hominum, perpluribus flagitiis, sub hujus à Farello cœptæ Reformationis tectum se recipiebant. Hic impunitas colligabat flagitiosos, hic libertas servos ad pileum vocabat. Hoc fugitivis erat asyllum